



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 38. Literæ Alexandro faventes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

In illis Cæremoniis Papæ capiti pro more Sæcul. XII.  
*Regnum* id est Mitram turbinatam cum A.C. 1159.  
 corona imposuerunt.

Octavianus interim cum per quatuor  
 hebdomadarum spatium in convocandis  
 Episcopis, qui ipsum ordinarent, fatiga-  
 tus fuisset, tandem tres invenit, & con-  
 secratus est Dominica prima Octobris  
 ab Imaro Episcopo Tusculano, assistenti-  
 bus Episcopis Melphitano & Ferentinensi.  
 Imarus seu Igmarius prius in Alexan- Sup. Lib.  
 drum consenserat, olim Monachus ad LVIII. §. 79  
 S. Martinum de pratis, a S. Bernardo  
 amicorum numero adscriptus.

§. XXXVIII.

*Literæ Alexandro faventes.*

Inter hæc Alexander Papa Tarracinæ  
 commorabatur, unde, ex Episcoporum  
 & Cardinalium consilio, Legatos ad Fri-  
 dericum Imperatorem, tunc Cremam  
 in Longobardia obsidentem, misit. Ve-  
 rum Imperator jam prius Octaviano fa-  
 vens, & Alexandro a tempore Legatio-  
 nis Vesuntinæ infensus, Legatis contem- Sup. n. 22.  
 tim auditis, ad Epistolam Pontificis re-  
 spondere non est dignatus. Alexander  
 prolixam quoque Epistolam dedit ad  
 Gerardum Episcopum Bononiensem, ad  
 Ecclesiæ ejusdem Canonicos, Doctores  
 Juris, aliosque ejusdem Urbis viros. Ex  
 quo

Sæcul. XII.

A.C. 1159.

*Alex. ep. I.**ep. Radev.*

c. 51.

quo cognoscimus, quanta jam illa ætate Scholæ Bononiensis auctoritas fuerit. Porro in illa Epistola Alexander omnia narrat, quæ in ipsius Electione & Ordinatione acta fuerant, ut nos ea retulimus, & adjicit, Octavianum, quamvis & Imperatoris minas & Laicorum vim militarem adhibuisset, necdum invenisse Episcopum, qui ipsi manus imponere vellet. Unde videmus, hanc Epistolam sub finem Septembris, Alexandro jam consecrato, sed Octaviano necdum ordinato, scriptam fuisse. His expositis, Alexander Clericos & Doctores Bononienses hortatur, ut in unitate Ecclesiæ Romanæ constanter remaneant, & literas, si quas Octavianus ad eos daret, rejicerent. Tum addit: Istud quoque vobis notum facio, quod octo diebus ab Ordinatione nostra elapsis, tantum enim temporis ei ad respiscendum concesseramus, solemni ritu & extinctis facibus Octavianum cunctosque Episcopos, qui ei impositis manibus Ordinationem sacrilegam conferre ausi fuerint, excommunicaverimus.

*ap. Radev.*

c. 53.

Cardinales quoque, Alexandri Papæ Electores, data ad Fridericum Imperatorem Epistola, omnes in fronte nomina sua apposuerunt, nempe universim viginti duo, Episcopi quinque, Gregorius Sabi-

Sabinensis, Ubalduſus Oſtienſis, Julius Præſtinus, Bernardus Portuenſis, Walterius Albanenſis. Itaque Cardinales Epiſcopi omnes, excepto Imaro Tuſculano, qui partes Octaviani ſequebatur. Tum conſpiciuntur nomina octo Cardinalium Presbyterorum, & novem Diaconorum. Plures tunc in Cardinalium Collegium non erant adlecti, ſi quinque illi Octaviani Fautores adnumerentur; nullus enim eorum nulli ſe parti addixerat. Cardinales Alexandri in ea Epiſtola, poſtquam Imperatorem hortati ſunt; ut memor eſſet, ipſius eſſe officii, Eccleſiæ Romanæ laboranti ſuccurrere, referunt, quæ in electione acta fuerant, iisdem verbis, quibus Alexander uſus fuerat. Et ſic proſequuntur: *Ad notitiam Majeſtatis tuæ deferimus, quod Otto Comes Palatinus, arrepta, cum Octavianus intruderetur, occasione, nos & Alexandrum Papam perſecutus, Eccleſiam dividere conatus fuerit. Nam cum armatis & Octaviano Campaniam ac Patrimonium S. Petri intravit, nihil intentatum relinquens, quo has provincias ſuæ poteſtati ſubjiceret. Quare ſuppliciter te rogamus, præcipuum Eccleſiæ Romanæ Defenſorem, ut his malis remedium feras, & uſurpatori nihil auxilii tribuas.*

Sæcul. XII.  
A.C. 1159.

§. XXXIX.